

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1118 - 1119

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

ecclesia quam in agris et in vineis et pratis pro remedio anime mee in communem utilitatem confratrum deo ibidem servantium, omni jure meo de eodem preidio secundum proprietatem in perpetuum dimisso et omisso.

Hęc vero traditio facta et a me confirmata est Paschali Romano summo pontifice universali ecclesie presidente, regnante Heinrico imperatore 8 anno incarnationis domini 1118^a, concurrente 1, epacta 6, indictione 9¹, presentibus tam clericis quam laicalis ordinis majoribus civitatis. ipse Cuno episcopus presens fuit et confirmavit. Burchart decanus, Eberhardus edituus, Rudegerus archidiaconus, Hesso scholarum magister, Gerolt, Hug, Dieterich, Diezman et multi alii confratres presentes fuerunt et confirmaverunt. de ordine laicali Sigefrit advocatus, Diepolt vicedominus, Hug exactor, Uuolfram, Hergger, Uuerenhere, Brun et multi alii interfuerunt. quicumque autem hanc nostram traditionem quocumque pravo ingenio deinceps infringere studuerit, perpetuo anathemate feriat et a limine vite eterne in sempiternum excludatur.

B aus Straßb. Bez.-A. G fasc. 2708 or. mb. c. sig. int. subt. impr. Das Siegel wie in nr. 69 hat die Legende: Cuno dei gracia Argentinensis episcopus.

Gedruckt nach dem lib. sal. 1347 bei Würdtwein Nova subs. dipl. VII, 19 nr. 10 = Grandidier Hist. d'Als. II, 231 nr. 578.

73. *Bischof Cuno von Straßburg beurkundet, daß Cuno und seine Frau Judinta von Lupstein eine Hörige namens Meginburg der Kirche der heiligen Maria zu Straßburg als Wachszinsige übertragen haben. 1119 Straßburg.*

† : In nomine sancte et individue trinitatis. : Cuno divina favente clementia Argentinensis episcopus. quanto juniores tempore, tanto negligentiores quia perplures existimus et, que litterarum testimonio non oblinemus, vetustate temporis amittimus, idcirco tradimus cartis, que curamus observare posteris. notum igitur esse cupimus tam futuri quam presentis seculi hominibus, qualiter quidam laicus noster fidelis Cuno nomine et uxor ejus Judinta de Lupphenstein quandam mulierem de familia sua Meginburgam nomine cum filio suo ad altare sancte Marie per manum Sigefridi advocati contradiderunt ea videlicet conditione, ut ipsi omnisque posteritas eorum per singulos annos duos nummos vel duas nummatas cere ad prescriptum altare in festo sancti Mauricii martyris persolvant et post hoc ab omni servili jure liberi permaneant. quod ut ratum et inconvulsum omni permaneat evo, hanc cartam inde conscribi testesque subscribi et sigilli nostri inpressione fecimus insigniri. hi sunt testes prescripte tradicionis : Cuono episcopus, quo consentiente et cujus banno confirmante hęc omnia facta sunt, Brun majoris ecclesie prepositus, Burchart decanus, Eberhart edituus, Hug, Dietherich, Gerolt, Diezeman, Adelgoz ceterique eorum confratres ; Sigefrit advocatus, Sigefrit urbis prefectus, Werinhere vicedominus, Guntram ceterique eorum comparitatis homines, quos enumerare lon-

a) B MCVIIIX, zwischen C und VIII eine Rasur.

¹ Epacten- und Indictionsziffer incorrect wie in nr. 71.